QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN PVBLICIS MEDICINÆ SCHOLIS CELEBERRIMÆ CADOMENSIS ACADEMIÆ,

PRO SECVNDA APOLLINARI LAVREA CONSEQVENDA

PRÆSIDE NOBILI VIRO M. ÆGIDIO GAVDINO PROFESSORE REGIO MODERATORE.

An putridis Febribus stibium. 25.

FEBRIS corporis totius est calor, factus è natiuo igneus, qui præcipuam habet in corde sedem, licet sæpius suam aliunde trahat originem. Putridæ quotquot recensentur species, rectè duobus summis generibus comprehenduntur, nulla enim est, quam non aut partium, aut humorum vitium pepererit. Ex visceris vel cujuslibet alterius partis inflammatione, erysipelate, putredine, corruptela, indeue profecta tetra expiratione cor assiduò lacessente, Febris gignitur assidua, sed, vt aiunt, symptomatica; hoc certè grauior, quò pars afflicta nobilior laribusque caloris natiui vicinior fuerit. Quæ ab humoribus ortum habet, aliàs quem semel apprehendit, continenter infestat; quo ad tota seorsim: vel cum ægro extincta sit. Atque hæc inflammati corruptiue ~~sanguinis~~ in maioribus venis sanguinis soboles est: aliàs longius à corde enata, intermittentem vt plurimum, at non semper securam periculi excitat, totiesque morbum iterat, quoties stata die & horâ redit accessio: vnde quotidiana à pituita singulis diebus, tertiana à bile flaua alternis tantummodò, & quartana ab humore melancholico quaternis quibusque ex candescente, & vero quemadmodum variè plerumque se habent diuersisque modis inter se miscentur humores illi, ita penè innumeras conflant interpolatarum Febrium formas, incertis crebescentibusque interdum mirifice accessionibus; sed non rarò intermittentium more modóque exacerbantur continuæ, accensæ è labefactato sanguine in hos illosue humores degenerante.

SYMPTOMATICAM Febrem rarò, nec ante extingues, quam partis, quæ illam fouet, ægritudinem plane perspectam habueris, medendoque si quà id arte fieri potest, effeceris; vt ab omni morbo vindicata valeat, huius enim integritatem sequetur illico Febris vacuitas. Medicæ autem artis legibus præclarè cautum est, ne cui infirma, inflammata, corrupta, tabida, tumidaue sunt viscera, validius obijciatur catharticum, quo moti furiatique humores minus in illa desiliant: potius venæ sectione, fomentis, enematis, lenientibusque alijs præsidijs cœcus ignis, latensque intemperies demulcenda, expediendæque viæ per quas natura vel sponte, vel subsidiaria medici operâ blandè inuitata, omnem qua premitur colluuionem deponat. Quæ ab humoribus prodeunt Febres, sæpe quidem similibus, at & alijs interdum machinis oppugnandæ. Prius tamen intellecto earum discrimine, nempe vt ebulliens corruptusue sanguis in patentioribus venis, continuam Febrem generat: sic intermittentem profert sanguinis quædam veluti fœx rancida, bilis, vel pituita alicubi collecta, & in flammas tandem erumpens: propterea qui conuenientem vtrique medicinam facere volet, in sanguinis detractione continuæ amoliendæ; intermittentis verò præcipuam in purgatione spem reponat.

QVÆCVMQVE ex arte instituitur purgatio naturæ obsecundare debet mollissimoque Febris tempore exhiberi: alioqui nullum omnino commouebit agetque humorem: aut certe fractis viribus pessundabit omnia. Quare ad purgationem duo maximè æstimanda ægri nimirum & morbi natura; cui vtrique vis deinde medicamenti scitè committenda. Quantumcumque in deligendo purgante medicamento cautus sis, nunquam non aliquid facesset molestiæ corpori: quæ non igitur metuenda strages ab imprudenter oblato. Labentibus ad ruinam viribus, nihil tutò possis aggredi; sed nec ijsdem integris nisi domito confectoque morbo, & qui hunc alit humore, illo enim incunte aut inualescente piger & copiosus humor cruditate, vel si mauis putredine valde à natura abalienatus tenet hanc quasi vinctam: vt piaculum sit de eo exturbando cogitare, nisi forte morbi impetu actus huc illuc fluctuet, partique alicui principi perniciem intentet, tunc namque satis est ei quâ se dat præbere exitum. Morbi initio quandoque aliquid emittit natura, sed inuita nullaque leuatione ac proinde nullis irritanda medicamentis, tunc hominem veneni in modum jugulaturis. Quo igitur belle res tibi cedat, illam in opere faciendo ducem imo & magistram sequere; solumque vbi se se eriget, & quos primis morbi temporibus coctione demulsit humores, iam excretioni maturos, suo martè, quâ ipsi commodum est, nitetur extrudere, tum illi tu, quô victoriæ socius fias, opitulare.

FEBRE vexatis nullum à stibio potest venire auxilium: nisi enim Febris altrix impuritas seu venis, seu intimis viscerum recessibus majore copia congesta, & à calore natiuo mitificata, conuenienti medicamento quod penetralia corporis nullo damno subeat, funditus exhauriatur, ipsáque connitente natura quâ decet exportetur, nulla vnquam speranda depulsio. Stibium autem vtcumque apparatum nequit purgantibus annumerari; vt non leuiter peccent, qui eo ad purgationem abutuntur: nullum quippe optat affinem cognatumque sibi humorem quem ducat; sed quidquid occurrit, secum sine delectu abripit, nec sua solum acrimonia lacessit partes in quas venit, ab ipsisque vna cum reliquis humoribus magna perturbatione deuoluitur: verum suopte ingenio noxias, venenatasque vires effundit, quibus ceu pestifero halitu vastat omnia, spiritus diruit; humores inquinat, partes arrodit, labem denique toti corpori nulla arte eluendam inurit. Iuuat quidem nonnunquam exterius admotum, at communi metallicorum sorte nusquam non nocet haustum, maximè vbi eius teterrima vis in terrena latens substantia igne velut abstracta exacuitur: vnde quia promptius subit ac reconditioribus visceribus semet importat, ab eo efferati humores nisi lethalem, saltem acerbiorem faciunt Febrem. Hanc quæso si continua est nec vacat periculo, quid attinet duriori longéque periculosiori Pharmaco oppugnare, at intermittente correptis quorum vita per se nullo in discrimine vertitur, idipsum impingere, nonne furentis est.

NON id omne, à quo fusior aluus purgandi virtute donatum est, vt mustum, mora, oleum, γυμνοποσία, ingluuies & crapula, nusquam in purgantium classem relata, sæpe aluum, sæpe & ventriculum ad quoslibet succos susque deque ejiciendos prouocarunt: multa plerumque ab epoto stibio deturbatur illuuies, idcirco ne purgat, sane non alia de causa vacuat stibium, quam quod venenum est: inde nimirum pugna naturæ rem sibi infensissimam vomitu, perirrhœa, secessu, hæmorragia, quacumque demum via est extrudere contendentis, & si quando viribus defecta sit ipsa in arena casuræ. Quod igitur thesauros suos toties inuita profundat, direptisque omnibus opibus ad deditionem cogatur; Quod ventriculus primæ prorsusque necessariæ coctionis organum excipiendis repurgandisque sordibus à natura minime comparatum, partes quibus firmissimè annectitur, magna vi diuellat, vehementique concussione omnia pertentet, quo se expediat; id ne medicamento adscripseris? an rectius veneno; cujus si nondum malignitatem intelligis; accipe vel ab ipsis agyrtis, à quibus copiosa aqua pauculo arrhenico infecta sæpiusque creta passim oggeritur tertianâ, quartanáue correptis, qui haud aliter quàm à sumpto stibio, nisi animam ipsam aliquando, casu licet, cum veneno Febrem euomunt ita hac temporum morumque lue palmarium habetur facinus, quod olim fuit capitale.

Non ergo putridis Febribus stibium.

Proponebat PETRVS ROGER *Cadomensis, Baccalaureus, die 20. Decembris, A. R. S. H. M. DC. LIII.*

CADOMI, Apud CLAVDIVM LE BLANC.